







11

29

1770, 4

P 223

MEDITATIO  
AD LEGEM V. C. DE DONATIONIBVS;  
QVA SIMVL  
PRAELECTIONES  
IN  
ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA  
PER HYEMEM HABENDAS  
SIGNIFICAT  
IOANNES DIETERICVS MELLMANN

---

KILIAE HOLSAT. A. R. S. MDCCLXX.

---

TYPIS BARTSCHIANIS.





INSTITUTION  
AD PECTUS V. G. DE DONATIONIBUS  
SUA SIMUL  
FRATRES

ACADEMIA CHRISTIANA LIBERTINA  
PER HYEMEM HABENS  
SIMPPLICI

IOHANNES-BAPTISTUS HELLMANN

ILLIUS HORAE A. D. MDCCCLXX

HAEC DONATIONES



655







Subdubitanti mihi, quam meditatione in hoc vitae Academicae ingressu pro captu ingenii animum meum rei litterariae devotum, & rationem, quam ad discendam, docendamque iurisprudentiam suavissimam, utilissimamque credam, publice declarare possim; id tandem placuit argumentum, quod magnam cautionem, quam in interpretando Codice nostro adhibendam censeo, brevibus proponit. Nec, ut equidem opinor, investigatu dignior quaestio est, quam illa, quae sit singularum legum propria natura, ac qua ratione interpretatio earum sit rite instituida. Quod nominatim ad codicem repetitae praelectionis attinet, iam probe de eo monuit vir ille, quem, ut Brunehufius ad Tibullum I, 9, 10. dixit, nunquam sine horrore quodam



quodam sacro nominare debemus, Hugo Grotius in fororum  
 Sparfione ad Ius Iustinianicum: *nihil incertius esse iure Co-  
 dicis*. Operae pretium ideo certe videtur in legum, quae  
 codice continentur, naturam penitus inquirere, indeque  
 vestigia aliqua, & certa eruere, quibus vis, & potestas sin-  
 gularum legum recte noscantur. Infitutum vero meum  
 cum non patiatum illustre hocce argumentum plane exhausti-  
 re, quod forsitan alio tempore sum tentaturus, viam tantum,  
 quam codicis interpreti ingrediendam putem, brevibus  
 demonstrare, eaque, quae dixerim, eleganti exemplo  
 confirmare sum conatus.

Plane nimirum aliam rationem, & viam habendam esse  
 in interpretatione, & applicatione Codicis repetitae prae-  
 lectionis, quam in caeteris iuris Romani libris explicandis  
 intelliget sane, quicumque naturam rescriptorum, quibus  
 codex noster maximam partem est compositus, cognoverit.  
 Rescripta, sive subscriptiones, etsi ab Ulpiano *L. 1. 1. D. de  
 const. princip.* cum constitutionibus confundantur, tamen  
 ab eodem Jureconsulto merito *in l. 1. 19. D. de quaest.*, ut  
 & a Diocletiano & Maximiano *L. 3. C. Si minus se maiorem  
 dixerit*, a constitutionibus principum separantur. Cuius  
 distinctionis sequentes fere videntur causae. Constitutio-  
 nes enim, quippe quae, ut pro legibus observarentur, ab  
 illustribus autoribus sint sancitae, & promulgatae, genera-  
 liter & directo vel ius novum constituebant, vel ius vetus  
 corrigebant. Sed rescripta, quanquam similiter principe  
 autore



autore fierent, tamen ad singulares causas & consultationes data, non novum, & generale ius constituebant, sed potius id, quod iam in usu versaretur ius, ad species principii propositas traducebant. Solebant enim veteres Romani non magistratus tantum, sed privati etiam homines, cum de iure incerto, vel etiam de certi iuris interpretatione dubitarent, ipsum principem per libellum, aut epistolam adire. Et principes consueverant consulentibus subscribere, vel, si ita videretur, epistola respondere. Id ex Ulpiano *l. 1. D. de const. princip.* & ex epistolis Traiani imperatoris ad Plinium secundum diserte intelligitur. Ex hisce expositis alia profuit differentia constitutionum, & rescriptorum, quae ad horum intellectum, & interpretationem spectat.

In constitutionibus, si quae nascatur dubitatio, quid voluerit, praeceperitque princeps, non modo ex disertis constitutionum verbis, sed argumentis etiam a contrario, itemque a consequentia ductis voluntas imperantis intelligi potest. Placuit enim principi per talem constitutionem ius quoddam generale suo arbitrio ad utilitatem publicam, quae & principi suprema lex esto, componere. At in rescriptis alia tenenda est interpretationis regula, nisi summa imis miscere velis. Cum princeps in his minime ageret, ut legem ferret, sed ut ad consultationem, seu ad facti speciem sibi propositam responderet: omnino liquet, argumenta a contrario, & a consequentia ducta inepte, & periculose interdum



dum adeo in rescriptis interpretandis adhiberi. Proinde, si quid in rescripto non sit expressum, id non utique ea lege exclusum esse nobis videbitur propterea, quod verba rescripti finibus propositae consultationis debent coerceri. Itaque cum pleraeque codicis nostri sanctiones rescripta sint, in interpretatione codicis eius rei potissimum ratio est habenda. Sanctio vero aliqua rescriptum sit, an edictum, sive constitutio generalis intelligitur ex *inscriptione*, qua nulum est interpretationis uberius subsidium, quod & Jacobus Gothofredus *arcanum docti interpretis* vocare solebat. Qua de re equidem viros doctos, qui in restituendis & a mendis librariorum purgandis inscriptionibus laborarunt, operam & oleum perdidisse haud credo.

Quibus praestructis periculum faciam, & illustrabo locum quendam codicis, etsi non asperum, atque impeditum, non indignum tamen, qui attente consideretur. Is locus est *l. s. C. de Donationibus*.

*Imperatores Carinus & Numerianus A. A. Flaconillae.*

”Si donatio per epistolam facta non apparet, verba tamen testamenti, quibus liberalitas testatricis confirmata est, fideicommissum continere non ambigitur. P. P. 6. Kal. Febr. Romae Carino, & Numeriano A. A. Coff.

Ex inscriptione, ni fallor, liquet, hanc sanctionem non constitutionem, sed subscriptionem, sive rescriptum esse: deinde respondere consultationi cuiusdam Flaconillae de



de iure quodam dubio, & incerto, minime autem de novo constituendo consultantis; ac denique non ad modum generalis novaeque constitutionis, sed specialis rescripti esse explicandam. Ea inscriptio haec est:

*Impp. Carinus, & Numerianus A. A. Flaconillae.*

Imperatores Flaconillae respondentes sunt Carinus, & Numerianus a Caro patre Augusti creati. Dispar sane, si *Flavio Vopisco* credere fas est, par fratrum. Numerianus moratus egregie, studiis, praesertim eloquentia adeo praepollens perhibetur, ut ei statim non quasi Caesari, sed quasi oratori optimo ponenda decerneretur, in bibliotheca Ulpia. Sed hic princeps vere dignus imperio factione Arrii Afri soceri sui, quae malitiae in bonitate, & virtute insignes vis est, opprimebatur. Vita huic immerenti erepta superstes erat Carinus dedecus, & opprobrium illustrissimae gentis, cuius patet auditis filii flagitiis exclamasse dicitur: *non est meus*. Hi, quos descripsimus, imperatores, sive Augusti respondebant libello, aut epistolae cuiusdam Flaconillae, de qua nihil compertum habeo. Dixi de rescripti inscriptione, nunc ad verba, eorumque expositionem transeam.

Sed ut magis clareat, qui sit proprius rescripti illius sensus, ipsam causam, sive facti speciem imperatoribus forsitan propositam exponere, seu potius enarrare studebo. Facta erat Flaconillae nostrae donatio mortis causa (\*) per epistolam. Successu deinde temporis donatio illa per epistolam facta a donante per testamentum erat confirmata. Sed mortua tandem



tandem testatrice, & tabulis apertis Flaconilla casu quodam, ut fit, epistolam donationem illam testantem, neque invenire, neque producere poterat. Nunc heredes testatricis negabant, donatariam rem donatam vel ex testamento petere, vel pro sua vindicare posse. Cautum enim erat legibus iam antea latis, uti ex *Novella 119. cap. 3.* patet, ut mentio documenti, nisi illud, cuius mentio esset facta, produceretur, aut alia perageretur probatio legitima, nullam tribuere possit exactionem. Verissime procul dubio; sed utrum mentio & confirmatio epistolae seu documenti in *testamento* facta sine productione illius epistolae legitima esset probatio, id erat, quod quaerebatur. Hanc fere, quam enarravimus, causam Flaconilla imperatoribus per libellum, aut epistolam proposuerat. Cui deinde de iure quidem certo, at dubio consultanti Augusti responderunt: verba testamenti non tam confirmationem donationis continere, quam potius verum fideicommissum inducere, in quo magis voluntas quam verba inspicienda *p. l. 16. C. de Fideicom.* Quae cum ita essent epistola donationem testanti non apparente Flaconilla ex iure legati, vel fideicommissi id petere poterat, quod antea vi factae & per testamentum confirmatae

---

(\*) Brunnemannus in commentario ad Codicem in loco nostro vidit donationem inter vivos. Sed cum iure antiquo ante Justinianum omnis donatio inter vivos vel per praesentem donationem, vel per stipulationem celebrari deberet, potius mortis causa donationem hic intelligendam censco, propterea, quod neque stipulationis neque praesentis donationis mentio ibi deprehenditur.





tae donationis exigere tentaverat. Ostendunt certe verba legalia modo a nobis exposita, imperatores neque novam, neque generalem facere voluisse constitutionem; sed saltim respondere libello matronae saepius laudatae, a qua de iure dubio, etsi alioquin certo, erant consulti. Intelligitur enim ex *Auth. si quis C. de edendo*, itemque ex *Novella 119. cap. 3.*, legibus iam antea latis cautum fuisse, ut, si quis in aliquo documento alterius documenti faceret mentionem, nulla ex hac memoria fieri deberet exactio, nisi documentum, cuius mentio facta, produceretur, aut alia legitima probatio exhiberetur. Hoc ius erat omnimodo certum, & pervulgatum: neque de eo tollendo, neque immutando quaerebatur. Sed difficultas, quae in casu nostro subnascebatur, haec erat, ut opinor, *utrum confirmatio documenti per ultimam voluntatem facta, cui vis legis tribuitur, legitima esset probatio, nec ne.* De hac re & quaerebatur, & respondebatur. Quare *Novella 119. cap. 3.*, & *Auth. si quis C. de edendo* in causa illa nullam praebere poterant dubitandi causam; uti nonnulli crediderunt. Neque illae leges tempore Carini, & Numeriani, quippe longe posteriores dubitationem movere potuissent; sed forsan *ius illud vetus*, cuius ibi mentio fit.

Quae cum ita sint, ego quidem, qui verba & rationem rescripti illius multum, attenteque consideravi, nullo modo a genio meo impetrare potui, ut crederem, illud, in  
B cuius



cuius expositione versamur, rescriptum etiam ad alias causas, sive facti species propositae non plane similes esse transferendum. Nec longe petam sententiae meae fidem. Suffecerint interpretationis leges, quas in limine huius meditationis laudaverim. Certum ergo, & indubitatum adhuc est ius, quod in *Novella 119. cap. 3.*, & in *Ausb. Si quis C. de edendo* proponitur. Atque errare mihi videntur doctores; qui sibi persuadeant, illas leges per locum nostrum quodammodo esse immutatas. Proinde affirmare nullus dubito, & vanam esse nonnullorum practicoꝝ sententiam, qui *per l. s. C. de donationibus* contra *Novellam 119. cap. 3.* cautum esse putent, *ut instrumentum prius, cuius mentio in altero facta sit, minime produci debeat, si secundum per se potuisset disponere.* (a)

Ita accurata legum scientia, earumque applicatio, iunctae quemadmodum sunt natura, etiam in officio coniungi debent. Sed scidit se studium, atque inertia factum, ut artes plures esse videantur. At sic non illi, quos antiquitas refert, cogitabant iureconsulti. Hi potius suam ornaturi artem, & perfectam quaerentes scientiam non legum notitiam,

---

(a) Brunnemann in *Codic. lib. 8. Tit. 54. p. 1057.*  
Menoch. *Consil. 90. num. 42.*





tiam, sed solidam intelligentiam, neque iurisprudentiae rudia elementa, sed omnem eruditionis ambitum percipere studebant. Discebant omnes disciplinas elegantiores, ipsius populi Romani mores, legum denique historiam, & varias mutationes. Istitis subsidiis instructi leges sunt interpretati, usum denique adiacentes illustrium virorum comitatu, & gravissimarum rerum administratione. Talem *Plinius libr. 1. epist. 22.* refert Titum Aristonem sapientissimum, & omnium disciplinarum cupientissimum iureconsultum. Talibus studiis consecutus erat Aemilius Papinianus, ut memoria eius celebraretur, ab eoque studiosi iuvenes tertio studiorum anno Papinianistae vocarentur. Hanc veterum iureconsultorum & regiam viam noviores etiam tenuerunt iureconsulti veram doctrinam affectantes, vitaeque breviter sapientia longam facientes.

Eandem viam ad veram eruditionem, & sapientiam aperiant, atque demonstrant illustres in Academia nostra ANTECESSORES, ET DVCES quam eruditissimi, tam clarissimi. Atque si mea etiam quaeretur opera, omnibus quidem ingenio, & doctrina longe cedo, sed ab ullo me labore vinci nunquam patiar. Nunquam mollis studii amans togatae militiae signum semper habui dictum Septimii Seve-



ri; LABOREMVS; & nunc omne meum AESTVMA-  
TISSIMORVM erit COMMILITONVM, qui mihi  
fequentes disciplinas explicanti operam forsan sint daturi.  
Ex facultate nimirum indulgenter mihi concessa per hyc-  
mem tradere constitui horis adhuc significandis:

Antiquitates iuris Romani publici, & privati;

Deinde historiam regnorum Europaeorum (die Ge-  
schichte der vornehmsten Europäischen Staaten)  
& denique artem insignium (die Heraldik, oder  
Wappenkunde)

Neque officia iis denegabo COMMILITONIBVS, qui  
in aliis disciplinis operam privatissimam cupient.











ULB Halle

3

001 601 61X



TA-→OL









1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

11  
P 229

1770, 4  
29

MEDITATIO  
AD LEGEM V. C. DE DONATIONIBVS;  
QVA SIMVL  
PRAELECTIONES  
IN  
ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA  
PER HYEMEM HABENDAS  
SIGNIFICAT  
IOANNES DIETERICVS MELLMANN

KILIAE HOLSAT. A. R. S. MDCCLXX.

TYPIS BARTSCHIANIS.

